



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1598

IV. De desponsatione B. Virg. cum Ioseph.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59989)

est ars tripudiandi, cantandi, instrumenta
musica pulsandi, &c. Quare quid mirum,
si eorum filij, postquam inde à pueritia
suxerunt lac mundi, efficiantur, ut eos Do-
minus appellat, filij huius sæculi, pruden-
tia carnali tumidi, sine spiritu, sine deu-
tione, & sine timore Dei.



DE DESPON-
SATIONE BEATISS.
VIRGINIS MATRIS
DEI MARIAE, CVM
IOSEPHO.

MEDITATIO IIII
EVANGELIVM.

Matt. 1.

CVM esset desponsata mater
IESV MARIA Ioseph,
antequam conuenirent, in-
uenta est in vtero habens de Spi-
ritu sancto.

FIGV.

FIGURAE.

1. **P**atriarcha Ioseph dum esset ^{Gen. 39.}
in Aegypto, vt seruaret fi-
dem Domino suo, qui totam domum
suam ei commiserat, Domina quo-
que sua castitatem omnino custodi-
uit.

2. Adhac cum eius fidei commis- ^{Gen. 41.}
sa essent omnia Aegypti horrea, o-
mne frumentum fideliter ad susten-
tationem & salutem illius populi
custodiuit.

PROPHETIAE.

Accepsi ad Prophetissam, & concepit. ^{Esa. 8.}
& peperit filium, & dixit Dominus
ad me. Voca nomen eius. accelera, spolia
destrahere, festina praedari.

2. Habitabit iuuenis cum virgine, & ^{Esa. 62.}
gaudebit sponsus super sponsam.

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA sublime hu-
ius prudentissimæ Virginis cõ-
siliu, quæ dum esset adhuc subie-
cta legi terrenæ & carnali, velut

iam spiritualis & Euangelica, multo ante Euangelium ab Apostolis prædicatum & scriptum, tam perfectè nouæ legis institutum seruauit. Nam lex vetus mandabat, vt omnes fæminæ, simulatque ad maturam ætatem peruenissent, nuberent, & liberis gignendis operam darent: quæ autem steriles essent & infœcundæ pro infamibus & maledictis haberentur. At Virgo sanctissima sublimiora cogitans, decreuit in animo nullum vnquam virum cognoscere, floremque virginitatis suæ pulcherrimum Deo conditori suo consecrauit. Nec mirum. iam enim erat diuina Spiritus sancti vnctione edocta, & verbum illud Dei æternum, viuum & efficax prius eius fuit Magister, quam filius. prius mentem eius instruxit, quam se eius carne vestiuit. Itaque ea prima causa fuit quæ Virginem ad desponsationem incundam permouit, vt nempe, velut generosa & obsequens Abrahæ filia diuinæ voluntati, qua in omnibus actionibus suis duce utebatur, faceret satis? Et verisimile est à Domino illi reuelatum fuisse, sponsum cui iungenda erat, fore castum, neque tam maritum, quam

-testem & fidum virginitatis eius cu-
 -stodem. Caussæ autem, cur sapien-
 -tia diuina voluerit illam desponsari,
 & habere maritum, sunt fere hæ.
 Prima, vt in eius persona represen-
 -taretur & exprimeretur mysterium
 -coniunctionis CHRISTI cum Ec-
 -clesia, quæ simul & Virgo & sponsa
 -eius, ac mater omnium fuit fidelium.
 Vnde non potuit inueniri ad signi-
 -ficandum hoc mysteriũ magis ido-
 -nea quam MARIA, quæ simul fuit
 -Virgo, sponsa & mater. Deinde id
 -conueniens, fuit ratione CHRISTI,
 -qui si natus non fuisset ex muliere
 -coniugata, à Iudæis gentilibusque
 -non fuisset receptus pro Messia, imò
 -velut illegitimus potius fuisset reie-
 -ctus & repudiatus. Secūda est, vt hoc
 -sacramentum esset occultum, & dæ-
 -moni ignotum, qui si Maria extra
 -matrimonium concepisset, suspica-
 -ri potuisset, illam esse virginem ab
 -Isaia prædictam. Quare admodum
 -conueniens fuit, Dæmonem hac in-
 -re decipi. Tertia, vt genealogia Chri-
 -sti constaret, è tribu Iuda & regia stir-
 -pe Dauidis descendens; per genea-
 -logiam enim Ioseph virginis spon-
 -si, qui erat de domo & familia Da-

uid, patefacta est Genealogia Virgini-
 nis, ac proinde & CHRISTI filij
 eius. Quarto fuit id conueniens pro
 educatione ipsius Domini, in ætate
 puerili. Quare & Ioseph fuit reputa-
 tus Pater, ac nutritius pueruli IESU,
 Deinde vt Ioseph vna cum matre e-
 ius curam haberet in profectioe in
 Aegyptum, & reditu, atque etiam
 vt mutuis officijs & laboribus se su-
 stentarent. Præterea fuit conueni-
 ens, ex parte ipsius Virginis Matris
 Domini, vt esset viro coniuncta. Pri-
 mò, ne à Iudæis secundum legem
 occideretur si deprehensa esset ge-
 stare vterum. Deinde vt immunis
 esset ab infamia, si grauida inuenta
 fuisset extra Matrimonium. Vnde
 Dominus, cui honor & fama bonæ
 Matris curæ erat, voluit potius nati-
 uitatem suam in dubium vocari,
 quasi non natus esset de Virgine,
 quam pudicitiam suæ Matris. sciens
 quam illa esset verecunda, & quam
 fama mulieris sit periculosa. Tertio,
 vt mariti non solum societate, sed
 auxilio quoque vteretur: erat enim
 ipsa egens, & ætatis teneræ. Vnde
 sicut Dominus in fine vitæ eam
 commendauit discipulo, sic nunc

res.

per Angelum in sponsam dedit & commendavit Iosepho iusto, ut fidus eius custos esset. Quarto, ut tanta dignitas Virginis, quæ erat, esse Matrem D. E. I., coniuncta esset cum humilitate coniugis fabri, ita enim in contemptum DOMINI loquebantur Iudæi. *Nonne hic est filius fabri?* Quare congruens omnino erat ut in persona Matris DEI servaretur illud consilium sapientis. *Quanto maior es, Eccl. 3. humiliata te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam.* Denique conveniebat beatissimam Virginem desponsari in utilitatem nostram; & primo, ut Iosephi testimonio constaret CHRISTVM è Virgine natum: nullum enim testimonium in hac re firmitus & certius accipi poterat, quam ab eius marito. Vnde sicut Apostolus Thomas dubitando & tangendo factus est veræ Resurrectionis DOMINI testis, sic Ioseph dubitando, & Angeli revelatione rem certo cognoscendo, fidelissimus Virginitatis & integritatis sponsæ suæ testis effectus est. Secundo voluit Dominus Matrem suam

simul esse Virginem & sponsam, ut in eius persona vterque status, virginalis & coniugalis honoraretur & approbaretur; atque ut eius vita (utpote quæ erat Princeps & decus Virginitatis) esset quasi omnis pudicitiae exemplar, non Virginibus solum sed etiam coniugatis & viduis propositum, in quod omnes intuerentur: atque ita illa omnibus facta est omnia, ut omnes ad imitandas excellentes virtutes suas prouocaret. Itaque virginibus fuit modestissima virgo, coniugatis castissima coniux, & viduis vidua religiosissima.

2. **CONSIDERA**, cum Virgo sanctissima annum ætatis decimum quartum compleisset, sacerdotes templi, pro instituto legis & sacri illius loci cōsuetudine cogitasse de ea collocanda in Matrimonio, atque ita, ea non dissentiente, quod sciret eam esse voluntatem Dei, ex omnibus stirpis eius hominibus delegerunt hominem sua opinione iustum & timotatum, hoc est, moribus Virginis conuenientem, cuius vita sanctissima, summaque honestas omnium ore celebrabatur. Elegere inquā bonum Ioseph progenie nobilem: erat
enim

B. VIRGINE. 167

enim è tribu Iuda, & regia domo Dauid: sed à fortunæ bonis egens, cui in sponsam, hanc sanctissimam Virginem promiserunt. Vbi perpende, cū dies castissimæ desponsationis aduenisset, quanta animi corporisq; moderatione, quam Virginea verecundia illa, quæ iam Regi cælorum erat desponsata sese obtulerit vt desponsaretur homini terreno. Tunc vidisses castam Rebeccam in sponsam accipi à magni Patris Abraham procuratore, non vt ipse eam retineret, sed vt Virginem custodiret, donec eam Domino suo Isaac obtulisset. Humilis admodum & vilis hæc hominū pauperum desponsatio videri debuit in oculis hominum: verum in oculis Dei, qui intuetur corda, & æstimat non opes, non nobilitatem sanguinis, sed virtutem duntaxat, nulla vnquam in mūdo extitit aut celebrior, aut honoratior, aut castior. Non erat hic cernere, magnum hominum comitatum vel applausum, sed innumerabilium angelorum exercitum, qui cælesti concentu, gratulationeque venerati sunt coniuges, Domino suo tam caros & dilectos. Ex altera parte in boni Iosephi persona con-

E s. tem.

108 MEDITAT. DE

templare magnum illum Patriarcham Iosephum, filium Iacob; & videbis hunc virginis sponsum non solum meruisse communionem eiusdem nominis, sed etiam recepisse eius castitatem, innocentiam & gratiam. Nam sicut ille Patriarcha inuidia fratrum suorum venditus est & in Aegyptum abductus, quæ fuit figura venditionis CHRISTI: sic & hic inuidiam Herodis fugiens, eundem CHRISTVM in Aegyptum detulit. Ille ad seruandam Domino suo fidẽ, seruauit castitatẽ Dominae. Hic cognoscens Dominam suam, sui Domini matrem esse Virginem, obseruando continentiam, fidelis eius custos factus est. Illi Deus impertiuit multorũ mysteriorum notitiam. Hic quoque particeps factus est caelestium sacramentorum. Ille conseruauit frumenta Aegypti pro salute populi. Hic custodiuit panem viuum qui de caelo descendit pro salute mundi. Rectissimẽ autem ei conuenit nomen Iosephi, quod significat, augmentum: quia in hac casta desponsatione Virginis progressum fecit & virtutum incremento, & celeberrime famæ, & reuerentiæ apud hominẽs.

homi

B. VIRGINE. 109

homines, ob summam illam eius dignitatem, quod haberetur gubernator, custos & Pater ipsius DEI. Quare dubium non est hominem fuisse admodum pium & fidelem, cui Mater Saluatoris fuit desponsata. Seruus verè fidelis & prudens, quem Dominus elegit in adiutorem & consolatorem suæ matris, deinde in gubernatorem suæ carnis, & diuini consilij sui in terra fidelissimum cooperatorem. Homo verè secundum cor Dei, cui, velut nouo Dauidi incerta & occulta sapientiæ sue manifestauit, & præfundi mysterij à nullo huius sæculi Principe cogniti, conscium reddidit; cui quoque concessit non solum videre, quem tot Reges & Prophetæ desiderarunt videre, ve iam etiam illum audire, manibus suis portare, amplecti, osculari, nutrire & gubernare.

3. Ad has omnes virtutes Iosephi accedit, admodum probabile esse, illum beneficio castissimæ suæ sponsæ perpetuam quoque virginitatem coluisse, ut ex hoc virginali matrimonio nasceretur filius virgo. Si enim illi ante perfectam hanc desponsatio-

110 **MEDITAT. DE**

nem fuit integer & castus, quemadmodum credi potest de homine testimonio ipsius Scripturæ tam iusto & sancto; nec vsquam scriptum exstat illum aliam coniugem habuisse præter **M A R I A M**, cuius potius custos fuit quam maritus, necessario sequitur eum vna cum illa perpetuam Virginitatem conseruasse. Nam si **CHRISTVS** Matri suæ iam ætate prouectæ noluit alium relinquere custodem, nisi virginem Ioannem, quanto magis noluit eidem adhuc in adolescentiæ annis existenti custodem adesse, nisi virginem: vt enim Dei filius non voluit nasci nisi de puritate virginea, sic neque tractari vel nutriti voluit nisi manibus Virginum. Accedit, quod videbatur necessariū, vt sanctus hic homo pro tanto officio sibi cōmisso hac quoque singulari gratia à Deo ornaretur, vt tum domi quam foris securius & castius cum sua castissima sponsa versari posset. Vnde colligi potest, vt quidam Doctores existimant, beatissimam virginem cognita sui sponsi virtute & sanctitate (de quo & diuinam reuelationem acceperat) ab initio desponsationis.

nis.

B. VIRGINE. III

nis, conspirasse cum eo de conser-
uanda perpetua castitate, vt in his
castissimis sponsis impleretur illud
Esaia vaticinium. *Habitabit iuuenis* *Esaia 62.*
cum Virgine, & gaudebit sponsus super
sponsam. Neque difficile fuit Virgini
id persuadere Iosepho, tum per effi-
caciã Spiritus sancti in ipsa lo-
quentis, tum per ipsius Spiritus gra-
tiam, quæ in anima illius hominis
vim suam, inclinando illum ad tam
sanctam & castam voluntatem, ex-
erebat. Quanquam verisimile quo-
que sit, beatissimam virginem, post-
quam admirando consilio se totam
Domino consecrauit, vt quæ semper
tenax silentij fuerit, & ad tacendum
magis quam ad loquendum prom-
pta, (maxime in materia suarum vir-
tutum, donorumque à Deo accepto-
rum) ne Iosepho quidem sponso suo
virginitatis suæ patefecisse proposi-
tum: totam enim se manibus Dei
commiserat, rerumq; omnium sua-
rum progressum & exitum magna a-
nimi securitate diuinæ prouidentia
commendarat. O fidem viuam Vir-
ginis, quantam in vniuerso Israhele
reperire non licuit. O simplicitatem
raram, vereque columbinam, quæ

112 **MEDITAT. DE**

vicit & destruxit omnem mundi prudentiam. O excellentem animi generositatem in Deo fidentem, & parentem consilio sanctissimi Regis David cuius ipsa erat dignissima filia. *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* sicut verè Dominus postea fecit, quando Angelum suum ad Iosephum amandavit, qui ei & suæ sponsæ integritatem & sublime Incarnationis suæ mysterium reuelavit.

Psal. 36.

4. **CONSIDERA** quam bene in persona Iosephi Virginis sponsæ dixerit Propheta. *Accessi ad prophetissam & concepit.* Quæ enim fuit hæc prophetissa, nisi Virgo sanctissima, quæ semper fuit spiritu prophético plena, & ideo cum ab Elizabetha cognata sua cum tantis benedictionibus reciperetur, in diuino illo cantico. *Magnificat anima mea Dominum,* prophetavit prædixitque se ab omnibus generationibus appellandam beatam. Huic prophetissæ adiunxit se Ioseph, quando eam recepit in sponsam. Adiunxit se illi, non vt maritus cum affectu carnis, sed vt fidelissimus comes, & custos castissimus. Fuit certe hoc Virginis & Iosephi
Matr.

Isaia 8.

B. VIRGINE. 113

Matrimonium (quantum ad substantiam eius attinet) verum & legitimum, sed sanctum, virgineum, & angelicum; simile illi, de quo dixit Apostolus. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* 2. Cor. II.

Quod si de tot alijs sanctis legimus, eos amore sponsi cælestis, æternarumque nuptiarum desiderio, cum sponis suis perpetuam seruasse virginitatem, congruens certe erat ut in hac re palma super omnes tribueretur ei, quæ in Matrem Dei electa erat: ut in proposito & virtute Virginitatis à nemine vinceretur illa quæ puritate vincit angelos, & semper toti mundo fuit huius nobilissimæ virtutis speculum & exemplar. Subiecit postea propheta, prophetissam, post suum ad eam accessum, concepisse & peperisse.

Concepit verè beatissima Virgo, sed opera Spiritus sancti & virtute altissimi, & peperit filium, conuenienter ei, quod de hac ipsa virgine idem Propheta dixit. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* *Esaiæ 7.* Mulierem marito copulatam concipere & parere mirum non est, sed ut Virgo permanens Virgo utrumque præstet, priuilegium & præ-

& præ-

114 **MEDITAT. DE**

& prærogatiua est solius Dei matris, quem non congruebat nasci nisi ex Virgine. Filio deinde huius Virginis & Prophetissæ impositum à Deo est admirabile illud nomen. *Accelera, spolia detrahere, festina prædari.*

Quod vero hoc nomen tam obscurum aliud est, quam quod Deus unigenito filio suo imponi mandauit per Angelum ad Iosephum dicentem. *Pariet filium, & vocabis nomen eius*

Matth. 1. IESVM, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Iam si nomen IESV non aliud significat quam Saluatorem, & officium Saluatoris est, debellare hostes, prædam agere, spolia detrahere liberando populum à seruitute, bene certe dixit Propheeta, nomen quo appellabitur fili⁹ huius Prophetissæ, & Virginis admirabilis, futurum, *Accelera, spolia detrahere, festina prædari.* Atque hoc Saluatoris officium optimè præstitit IESVS Dominus noster, qui, uti ipse dicit, fuit fortissimus ille belli dux, qui in auxilium populi veniens, vicit, & fortem armatum, mundo tyrannicè dominantem alligauit, spoliaque ei detraxit, omnique præda iniuste usurpata exiit. De hoc Saluatore si-
mili-

militer locutus est Propheta dicens,
Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem. Psal. 67.

Captiuitas hæc erant sanctæ animæ, quæ tanto tempore fuerant tyranno infernali obnoxia. Videmus ergo quam casta fuerit sponsa, ad quam Iosephus accessit, quam puræ corum conuersatio, quam sanctus fructus ex hac desponsatione fuerit consecutus, nempe ipse Sanctus Sanctorum, candor lucis æternæ, & speculum sine macula diuinæ Maiestatis, qui vti voluit matrem *Sap. 7.* suam esse sanctam antequam nasceretur, sic voluit deinceps eam conseruari puram & immaculatam usque ad mortem.

5. PERACTA ergo desponsatione Virginis sacrae in Nazareth, vbi Ioseph habitationem suam habebat, & vbi paulo post ipsi Virgini ab Angelo. Annunciatio facta est; (mos enim Iudeorum erat, vt mariti, antequam sponsis suis iungerentur, eas aliquanto tempore relinquerent in parentum ædibus, aut etiam in propria domo omni honestate custodirent:) Considera, quid ibi egerint, quaque in re sanctissima.

Virg.

Virgo se occuparit ; illa inquam, quæ ante consuërat potius cum angelis conuersari, quam cum hominibus, potius cælestibus quam terrenis vacare exercitijs. Vidisses eam tunc incedere totam curis implicitam, & in officijs Marthæ occupatam, magnoque solatio suo sacras Deoque dignas manus in abiectissimis vilissimisque domus ministerijs fatigantem. Vbi expendere quoque potes, quantum illa, quæ in Matrem Dei erat electa submitterit se, & reuerita sit pauperem fabrum sponsum suum. contra vero, quantum ille, vt erat homo iustus & prudens, tantam virtutem & sanctitatem sponsæ suæ sit admiratus, plane persuasus se non iam cum muliere, sed cum paradisi angelo viuere. Quare & reuereri eam cepit, non tanquam consortem, sed vt patronam & Dominam suam. Cogita quanta contentione & emulatione vicissim certarint, vter plus obediret, vter plus alteri se submitteret. Vnde conijcere possumus Iosephum suæ sanctissimæ sponsæ exemplo in dies profecisse, & accessionem fecisse in studio virtutis

tatis

B. VIRGINIS. 117

tutis ac imprimis in amore puritatis. O quam verè in domo illa impletum est, quod dixit Propheta, *Qui habitare facit vnanimis in domo* Et si in Euangelio scriptum est de Zacharia, & de eius vxore Elisabetha Ioannis Præcursoris Domini parentibus, quod iusti fuerint coram Deo, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus sine querela; quãto maior sanctitas, obseruantia, & consensus existere debuit in hac domo inter Ioseph & MARIAM, è qua nasciturus erat Dominus pacis? Nullæ hic erant querelæ, nulla turbatio, nulla opinionum dissimilitudo, sed ingès pax & concordia, caritas perfecta, honestas summa: domus verè bonorum terrenorum inops, sed cælestium virtutum plena & opulenta. Non erat ibi aut famulorum frequentia, qui ministrarent, aut amicorum qui pauperem hunc sponsum inuiserent: sed tamen erant Sancti Angeli, qui aulam suam apud eam habebant, & mirificè de tanta eorum puritate & gratia lætabantur. Quid vero mirum, continenter ibi fuisse totos angelorum choros, vbi simul aderat ipse Angelorum Dominus.

Psal. 67.

Luc. 3.

Dominus

18 MEDITAT. DE

Dominus? Nam si ipse dixit de alijs
seruis suis, vbiunque forent duo
vel tres in nomine suo congregati,
ibi se in medio eorum futurum, quã-
to potius existimandum est eundem
Dominum in medio istorum duo-
rum sanctissimorum sponsorũ fuis-
se, è quibus M A R I A futura erat
cuius Mater, & Iosephus eum in in-
fantia erat educaturus & custoditu-
rus? O beata domus, ô honoratum
coniugium, ô fœlix societas.

COLLOQVIUM.

O Purissima & obedientissima
Virgo, quæ, vt in omnibus te
diuinæ voluntati conformares, te li-
bertate & consolatione tui Spiritus
priuare, & graui iugo, seruitutiq̃ue
matrimonij subijcere voluisti; oro te
per hanc singularem obedientiam
tuam & resignationem, atque per-
castam inter te & Iosephum tradu-
ctam conuersationem, vt à dulcissi-
mo filio tuo impetrare velis, vt in
nullo vitæ meæ statu, aliquid agam
contra diuinorum præceptorum ob-
edientiam, vnde Maiestatem tuam
offendam; ac præterea dignetur ani-
mæ

mae tantum puritatis amorem & desiderium communicare, vt hac vita, in omni cordis corporisque puritate transacta, merear in altera velut casta quaedam sponsa sisti illi Domino, qui à solis corde mundis videri meretur.

DOCUMENTA.

1. **Q**UAMVIS virginitatis propositum & status, quem beatissima Virgo erat complexa, tanta esset perfectionis & meriti, tamen quando cognouit voluntatem Dei esse, vt viro desponsaretur, totam se in eius manus resignauit. Vnde discimus, quando ab operibus etiam sanctissimis perfectissimisque ab ijs qui vices Dei gerunt ad alia officia inferiora auocamur, promptè obsequendum esse, & iudicandum nobis vtilius esse id quod nobis mandatur, anteferendo semper voluntatē superioris (quam cogitare debemus esse ipsius Dei) voluntati nostrae.

2. Ex hoc casto & virgineo beatiss. Virginis cum Iosepho coniugio, discere possunt omnes coniugati, matrimonium eorum, qui desiderio maioris perfectionis ex mutuo consensu perpetuam seruant virginitatem vel continentiam, non modo ve-

TUM

E. Cor. 7.

rum esse & legitimum, sed etiam maximi meriti & Deo Domino nostro tanto puritatis amatori gratissimum. Quod videtur quoque insinuasse Apostolus, quando Christianis potius consuluit castitatem, quam coniugium, & adiunxit, ut qui iam uxorem haberent, viverent proinde ac si non haberent. tempus enim, subiungit, breue est, & figura huius mundi praterit. Quare homines omnem curam ponere potius debent in consequendis bonis eternis, quam in temporalibus & caducis, quae cito finem habebunt.

3. Quoniam Dominus beatiss. Virginem ad tantam voluerat dignitatem, ut esset mater ipsius Dei euehere, non solum voluit esse virginem, sed virginem admodum humilem. Qua de causa & in templo inter pauperes Virgines educata est, & seruitute Matrimonij subiecta est, & marito usa est admodum paupere & abiecto? ut nimirum homines intelligerent, fundamentum perfectionis, & clauem qua custodienda & conseruandaque sint virtutes oēs, esse humilitatem. Unde quo homines maiores progressus faciunt in donis & gratijs à Domino communicatis, hoc humiliores & submissiores esse debent: quo autem altius ascenderit, hoc fundamento destituti, eo grauiori & periculosiori lapsu ruent.

4. De

4. Dominus non elegit Iosephum in matris suæ sponsum, quod esset homo magnus & illustris secundum mundum, sed quia iustus erat & sanctus: unde tantus honor ei accessit, ut è paupere & contempto fabro, tam famosus & honoratus sit factus in toto mundo, & tantopere exaltatus in celo. O si homines hanc philosophiam caperent, illi, inquam, qui tanto studio occupantur gloriam & famam; nempe veros honores non acquiri accumulatione opum, & dignitatum, sed iustitiæ Christianæ exercitatione & sanctitate vitæ: non dubium quin plus curæ studijque ponerent in virtute, quam pecunia comparanda, in acquirenda pietate, quam piscandis beneficijs & mundanis dignitatibus. Quocirca sepe talibus vsu venit, ut posthabito Deo animæque salute, inhiantes per artes illicitas huiusmodi honoribus, tam in hac quàm altera vita sint infames & inglorij, convenienter illis Prophætæ verbis. Quicumque honorificaverit me, glorificabo *L. Reg. 21* cum qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

5. Etsi beatissima Virgo claritate sanguinis, & virtutum præstantia fuerit admodum celebris, ut verisimile sit eam multo nobiliori coniungi potuisse Matrimonio, tamen maluerunt assumere Iosephum

par-

pauperem fabrum, sed hominē magna virtute & sanctitate. Multo secus hoc tempore, pro dolor, matrimonia ineuntur à Christianis, nam in filiabus nuptui tradendis, non iam ad virtutem & sanctitatem, sed ad opes, nobilitatem, & dignitatem maritorum respicitur. Similiter viri in ducendis mulieribus, non ad virtutes & pietatem, sed ad magnitudinem dotis, ad pulchritudinem externam attendunt. Unde videmus tot infelices coniugiorum exitus, tot coniugum lites, amaritudines, bella: ut in edibus eorum non audiantur alie voces quam virorum maledicentium ijs qui illis eiusmodi vxores procurarunt, & contra vxores omnia mala imprecantes parētibz, quod autores talium nuptiarum fuerint.

6. Dominus non solum voluit Matrem suam esse Virginem, & in oculis sue Maiestatis sanctam, sed etiam marito copulatam, idque, ut apud homines ab omni peccati suspicione esset immunis: nos videlicet informans, satis non esse, si in operibus nostris per bonam intentionem satisfaciamus Deo, sed insuper operam dandam, ne cuiquam offendiculo simus. Monet siquidem Apostolus, ut bona faciamus non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

Rom. 12.

MEDI-

MEDITATIONES
tres sequentes, hoc est, de An-
nuntiatione, Visitatione &
Purificatione, etiam si ex-
stent in Meditationibus Vi-
tae Christi, tamen hoc lo-
co sunt repetita, sed co-
piofiores & me-
liores.

F DE AN-